

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
**M E D O R R H O E A
VIRULENTA,**

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,

NEC NON
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE ORTIENDA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Gaspar Pinardi,
Cremonensis.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 4. Augusti 1832.

VINDOBONAE.
TIPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

THE UNITED STATES OF AMERICA

DEPARTMENT OF JUSTICE

OFFICE OF THE ATTORNEY GENERAL

WASHINGTON, D. C.

MEMORANDUM FOR THE ATTORNEY GENERAL

DATE: [REDACTED]

TO: [REDACTED]

BY: [REDACTED]

RE: [REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

UNCLASSIFIED

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO

DOMINO

JOANNI A MALFATTI

IN METROPOLI AUSTRIAE

MEDICO PRACTICO AESTHMATISSIMO

VIRO CELEBERRIMO
SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA
NEC NON
HUMANITATE AC BENEVOLENTIA
CLARO
IN PERENNIS OBSERVANTIAE ET VENERATIONIS
SUMMAE TESSERAM
HAS PAGELLAS INAUGURALES SACRAT

devotissimus
Auctor.

Conspectus medorrhoeae virulentae historicus.

Si consideramus, quod ex coitu immoderato et ex immunditie genitalium, praesertim in feminis post concubitum et epocham menstruorum medorrhoea virulenta omni tempore et in omnibus regionibus, praecipue calidioribus evolvi potest, certe fluxus medorrhoeicus jam a primis humani generis aetatibus existere debebat. Quod ipse jam apud antiquos Graecos et Hebraeos dominaretur, ex nonnullis illorum ritibus, divinitatibus et ex scriptis mosaicis juxta mentem cl. *Thiene**) deduci potest.

Aristoteles tamen videtur primus fuisse, qui de hoc morbo mentionem particularem apud Graecos fecit. Ipse ait: »quum non fiet bona spermatis excretio, ipsius abundantia infirmitatem producit, ex qua nonnulli sanantur, alii consumptione moriuntur, uti in profluvio urinae, quae ex ipso canali exit, ex quo semen emittitur;« et in aliis locis.

*) Della scolarione ossia gonorrea degli antichi. Lett. II. di *Domenico Thiene* à *Gruner*. Omodei annali medici. 1824. T. 3o. pag. 124.

A *Moschione* et a *Prisciano* remedia habemus contra fluxum e matrice stillantem, propter malos humores, libidinem, tumores et ardores etc. Et praescriptiones hujus auctoris existunt pro injectionibus in penem aegrotantem instituendis.

Aeginetta, dum de ulcere in urethra descriptionem praebet, omnes medorrhoeae characteres exhibet.

Ab *Actuario*, uno ex ultimis graecae scholae scriptoribus, novimus, transitum *blennorrhagiae* in *blennorrhoeam*, et hujus diagnosin cum methodo antiphlogistica generali et locali.

Romanis quoque fluxus blennorrhoeicus notus erat. *Celsus* in tractatu: *De morbis genitalibus* et praesertim de ulceribus penis, sermonem facit de fluxu impuro, tanquam ulceris effectu: »Quodsi, ait ille, pus et multum et cum malo odore coepit profluere, eluicremore lenticulae debet, sic ut melis paulum adjiciatur;« et alibi *blennorrhagiam* describens, dat etiam curam.

Neque in Arabum scriptis mentiones circa hunc morbum desiderantur.

Opillatio virgae, quae inter morbos calidos recensetur, describitur ab *Ali Abbas* filio, anno 980 vivente. Juxta hunc scriptorem ulcera matricis ab humore quodam acuto, cholericico ex apertura apostematis vel pustulae dependent.

• *Isaak* seculo X. de penis abscessu mentionem facit. Hinc *Mesul*, *Buhahylyha Bingezla*,

Ruse pariter de pruritu, de pustulis, de fluore partium genitalium loquuntur.

Avicenna causas, seminis profluvium producentes perscrutatur, et mentionem de pruritu virgae facit, cujus causam ipse cuidam calidae materiae, et acri transudationi in ipsam virgam effusae tribuit.

Abu-Oseibah sec. XIII. fortem inflammationem membri virilis cum caruncula, quae urethram obstruebat, refert, quarum molestiarum causa a commercio impuro cum animali inculpatur,

Alsahravius et *Albucasis* eadem epocha loquuntur de pruritu in cavitate penis, contra quem injectiones aquae marinae ultimus praescrispsit, atque ab ipsis sermo fit de ulceribus penis ab acri et putrido humore dependentibus. Ex quibus singulis morboris genitalium formis illo aevo medorrhoeam dominari evincitur.

Etiam a variis membris celeberrimae scholae Salertinae notiones circa existentiam medorrhoeae habemus,

Gariopontus, unus ex illo collegio, mentionem facit de hocce mali genere.

Michael Scotus loquitur de periculo virgam inficiendi, si concubitus cum mulieribus fluore laborantibus celebratur.

Ruggerus Parmensis gonorrhoeae symptomatum descriptionem, ejusque curam exponit.

Anglus Gilbert sec. XIII. eundem morbum

sub gomorrae nomine descripsit, et pariter ab ipso genitalium ulcera describuntur. Tempore autem, quo exercitus Christiani ad pugnandum contra infideles et schismaticos Asiam petierunt, teste *Sprengel* hic morbus valde diffusus erat.

Eodem seculo *Bernardus de Gordon*, et post *Magninus*, inde *Joann. à Concorreggio Mediolanensis* ad initium sec. XV. in variis eorum scriptis de pruritu, dolore, ulceribus, de fluxu penis et matricis sermonem faciunt.

Eodem aevo *Joann. Arcolanus* tractatum in lucem edebat, in quo tanquam causam ardoris in urinis emittendis excoiationes et ulcera in vesica et urethra existentes inculpat. Et ex *Cornamira* a *Joanne de Gradi*, ab *Antonio Cermisone* notiones indubitatas de gonorrhoea habemus.

Beket duo statuta de lupanariis Anglis, unum anno 1163 et alterum anno 1430 emanatum refert, et pariter quandam praescriptionem contra ardorem penis a quodam codice anni 1390, et aliam contra matricis ardorem ab alio anno 1450 codice desumptum profert.

Ita exstat quoddam statutum pro lupanariis Avenionis Anno 1347 a *Johanna I.* regina Neapoli editum. Et *Ladislaus* rex Neapolitanus anno 1414 morbo sibi a filia medici cujusdam Perusiae contracto occubuit. *Tristanus Caracciolus* praescriptionem contra morbum penis ex commercio

cum muliere menstruante in quodam seculi XV. formulario depromptum recordatur.

Haec omnia prolata sistunt tot testimonia, quae nullum dubium de antiquitate medorrhoeae relinquunt: et nullum opus medicum vel laicum seculi XII. et principii XVI. existit, in quo mentio de ardore urinae, tanquam effectu veneris impurae non fieret.

Quod autem iste ardor, de quo varii nominati scriptores loquuntur, cum medorrhoea virulenta identicus sit, a causarum, circumstantiarum, et vocabulorum, quibus a variis populis ille morbus insignitus fuit, clare patet; et revera principium virulentum in organa genitalia introductum, irritationem producit, cum tumore, rubore, cum sensu ardoris in urinis emittendis, et haec symptomata etiam vulgo nota ideam inflammationis, quae ab omnibus nationibus vocabulis omnino synonymis exposita fuit, excitarunt.

Tandem a *Benedetti* a *Legnago* medico Veneti exercitus contra Carolum VIII. anno 1495 descriptionem morbi gallici habemus, sub ipsius oculis evoluti, in quo intra alia symptomata principalia medorrhoea recensetur. Post hanc epocham Medorrhoeam universalem factam, in omnibus fere Medicinae tractatibus descriptam invenimus, adeo ut impossibile foret, in hac dissertatiuncula omnes auctores referre, qui de ipsa scripserunt. Hic demonstrasse sufficiat, fluxum Medorrhoeicum et gen-

tem humanum fere pari antiquitate gaudere, dum illi, qui ulteriora de illius historia scire cupiunt, ad opera *Leonardi Schmaus, Joh. Fernelius, Petr. Lowe, Boerhaave, Freind, Astruc, van Swieten, Gritanner, Hensler, Gruener* etc. relegantur, ubi pabulum sufficiens pro instructione et curiositate invenient.

Morbi definitio et synonyma.

Medorrhoea (Tripper) est inflammatio membranae mucosae, internam genitalium, urethrae et vaginae superficiem investientis, quam sequitur ejusdem membranae relaxatio; est itaque — *catarrhus genitalium*. Haec si ex impuro concubito originem ducit, et contagiosam naturam adipiscitur, *Medorrhoea virulenta* audit, ut ab insonti et symptomata distinguatur. Aliae quoque hujus morbi denominationes apud varios auctores inveniuntur, uti: *Gonorrhoea, Blenorrhoea, Leucorrhoea, Blennorrhagia; Phallorrhoea* (Ploucquet); *Urethralgia, Urethritis*; fr. Blennorrhagie, angl. Gleet, ital. scollazione. Cl. *Schmidt* distinguit *Urethritem* apud viros, et *Elytrititem* apud feminas.

Hypotyposis.

Medorrhoea virulenta in viris post tres, quatuor, sex dies, raro tardius post coitum impurum

per varia phoenomena manifestari solet. Incipit plerumque cum peculiari sensu et singulari pruritu, praesertim ad penis apicem et retro frenulum percipiendo, quae ingratae sensationes per duos — tres circiter dies durant. Orificium urethrae fit rubrum, et valde sensile, turgescit et sub levi jam pressione guttula profluit limpida, linteamina colore flavescente tingens.

Pruritus de die in diem increscit, et in loco, ubi propriam sibi sedem figit, urinarum exitus dolorem producit urentem. Interdum symptoma primum est muci fluxus, qui non raro valde coloratus observatur; hunc deinde sequuntur peculiaris ille pruritus, nec non urinarum dolorosa excretio, id quod apud illos praecipue accidere solet, qui jam multas medorrhoeas perpessi sunt, et quorum urethra jam aliquas mutationes organicas passa est.

Nonnunquam dolor sub urinarum emissionem percipiendus primus est, qui aegrotantis attentionem excitat. Post tres — quinque dies omnia supra nominata phoenomena admodum intensitate augentur. Glans obscure rubet et veluti inflammata adparet, fluxus muci perfecte puriformis redditur et valde flavicans, saepe viridescens vel brunescens; totum membrum virile, praesertim glans turgescit. Nisus ad urinas mittendas nunc frequentius percipitur, qui cum violente dolore praecipue sub primis et ultimis guttis conjungitur. Sub positione supina in lecto potissimum, si aeger stragulis nimis calefa-

cientibus obtegitur, sub vigilia raro, saepius sub somno horas matutinas versus frequentibus affligitur erectionibus, quae somnum interrumpunt, aegrumque ad lectum relinquendum cogunt, quas simul frequentes pollutiones nocturnae ab ingrato atque doloroso sensu concomitatae excipiunt. Sub spermatis ejaculatione acerrimus dolor persentitur; semen saepe saepius excernitur sanguinolentum, et omnia morbi symptomata exasperantur; quantitas ipsius seminis variat, modo majori modo minori copia excreti.

Haec symptomata hucusque recensita solummodo in medorrhoea vulgari adparere consuescunt; multa vero nova illis junguntur, si phlogosis ad gradum altiore[m] evehitur, magisque diffunditur. Huic autem producendae imprimis favent corporis constitutio robusta et fortis, temperamentum sanguineum vel cholericum, aetas juvenilis; causis excitantibus praeprimis adnumerantur errores diaetetici, cura perversa, aliique influxus externi, forsitan quaedam malignitas veneni medorrhoeici huc spectare videtur.

Inflammati[o] ad corpora cavernosa urethrae quoque propagatur, et dolor sub continuis, quibus aeger torquetur, erectionibus evadit acerrimus; intensitate porro de die in diem augetur ita, ut non raro in *priapismum* ipsum abeat.

Membrum virile turgidum plerumque deorsum raro sursum cum summo dolore curvatur, talique

pacto sic dicta *chorda venerea* (*phallocampsis*) exoritur, quod symptoma nonnullis etiam *gonorrhoea chordata* vocatur. Violenta hac penis erectione non raro accidit, ut nonnulla vascula in urethra rumpantur, et sanguinem fundant (*stimatosis*).

Nonnunquam mucus sanguini intermixtus continuo fluit, et praeputium saepe adeo inflammatur, ut retro glandem amplius reduci nequeat; si vero hoc accideret, circa glandis coronam tantopere stringitur, ut antrorsum trahi non amplius patiatur. Sub his circumstantiis oriuntur *phimosi* (Vorhautverengerung) et *paraphimosi* (spanischer Kragen), in quo rerum statu urinarum excretio cum diro dolore atque molestissimo tenesmo conjuncta nonnisi guttatim subsequitur.

Incommoda consensualia, quae omnis medorrhoea excitat, in diversis corporis partibus animadvertuntur.

Levioribus adnumerari licet sensus pressivus ad regionem perinaei praesertim sentiendus, dolores porro per crura ad tibias usque extenduntur, pruritus ingratus ad anum et vesicam urinariam percipitur, unde continuus ille, et molestus ad mingendum alvumque deponendam nisus exoritur; tensio molesta secundum longitudinem funiculi spermatici sentitur; exoritur inturgescencia dolorosa in regione inguinali, testium sensibilitas exaltatur, dolor tumorque in illis crescunt; vasa lymphatica glandis turgent, atque penis sub leviori jam tactu dolet.

Oscillationes febriles modo leviores, modo intensiores evadunt, et praesertim ad vespervas sese per sitim adhaerentem, cephalicam, urinas rubicundas, cutem siccam, pulsum frequentem, fortem, duriusculum manifestant.

Inflammatiō magis magisque intensitate crescit, symptomata cuncta evadunt vehementiora, nec non citissima per minimam ansam datam multiplicantur; mucī secretio supprimitur (*medorrhoea sicca*), et glandulae urethrae non raro adeo infarciuntur et volumine augentur, ut aeger vel nullam urinam amplius emittere valeat, vel illarum excretio nonnisi guttatim, vel radiata et divisa projectione concedatur, quarum adfectionum saepe saepius spastica colli vesicae contractio rationem continet. Interdum ex hac fluxus mucosi imminutione vel totali suppressione gravis evolvitur *orchitis*, vel in rarioribus casibus terribilis oculumque devastans ophthalmitis exoritur.

Enumeratae molestiae per duas vel tres hebdomades durant, atque *primum* constituunt medorrhoeae *stadium, inflammatorium* dictum. Deinde paulatim decrescere incipiunt; dolores imminuuntur, tenemus ad urinam mittendam antea percipiendus mitigatur, erectiones fiunt rariores et minus dolorosae, fluxus mucosus evadit densior, ex albo flavescens, filamentosum, cum disparitione omnium inflammationis symptomatum, donec, absoluto hocce stadio secundo, quod *blennorrhoeicum*, seu *relaxationis* vocatur, ex integro cesset.

In *blennorrhoea balani*, ubi glans cum facie interna praeputii, ipsam plerumque totam tegentis, praeprimis adficiuntur, nec sub urinarum excretionem, nec sub excretionibus dolor notabilis, nisi phimosis simul adfuerit, observatur; quin imo symptomata omnia idiopathica mitiora, nulla vero symptomata in casibus longe plurimis animadvertuntur.

In sexu sequiori genitalium sola diversitas discrimen ponit. A pruritu plerumque ad labia tam majora, quam minora percipiendo exoritur, qui tamen praeprimis in clitoride sentitur, et cum illarum partium rubore, tumore, duritie junctus incedit; pars quoque vaginae anterior in consensum trahitur, dolores incessu et praecipue sessione adaugentur. Blennorrhoea ipsa faciem femorum internam excorians, cum variis symptomatibus consensualibus adsociatur, quin tamen unquam (nisi sub summa morbi neglectione) gradus vehementior in sexu femineo exoritur.

Terminationes.

Inter morbus posthumeros, in quos medorrhoea transire amat, vix non frequentissime occurrit medorrhoea diuturna habitualis (*medorrhoea chronica*), quae in individuis plerumque laxis remanet, et per annos nonnunquam aegros vexat, sub qua mucii albicantis, plerumque insontis effluviae intelligitur, quae cum omnium symptomatum mitigatione procedit.

Nec raro ex praecedente blennorrhoea acuta, posthuma observantur diversissima, uti: stricturae et sarcomata urethrae, dysuria chronica, induratio colli vesicae urinariae, scleroma glandulae prostatae.., quae omnia per experientiam confirmantur.

A e t i o l o g i a .

Innumerae paene sunt causae, quae fluxum mucosum ex urethra provocare possunt. Earum nonnullae medorrhoeam benignam vel symptomaticam aliae virulentam vel vere syphiliticam suscitant.

Prioribus adnumerantur corpora peregrina in urethra haerentia, injectiones stimulantes, coitus nimis frequens et rudis; longior urinarium retentio, status subinflammatorius glandulae prostatae, calculus in vesica urinaria, ascarides in intestino recto, usus Cantharidum, abusus cerevisiae recentis, in qua fermentatio nondum penitus abacta est, haemorrhoides, impetigines subito suppressae, scrophulae, arthritis, et praesentia mali cujusdam syphilitici.

Exinde patet, blennorrhoeas quoad indolem et ortum admodum variare.

Causas, quae medorrhoeam virulentam excitant, merito in illas morbum primitivum provocantes, easque morbum semel generatum ultro diffundentes discerni debent. *Medorrhoeam primitivam* quidem sem-

per ex impura copula oriri novimus; momentis tamen geneticis praecipue accensenda sunt: leucorrhoea feminarum indolis variae, fluxus menstruus, coitus cum pluribus viris, peculiaris geniturae acredo, mundities pudendorum neglecta, quibus omnibus fermentum sui generis producitur. Morbo semel posito, ulterior diffusio semper mediante *fomite contagioso*, qui mucosae secreto inhaeret, perficitur.

Quod naturam hujus contagii medorrhoeici attingit, dum de hac sub judice adhuc lis est, tacuisse satius duco, quam catervas hypothesis hypothesi nova augere. Dum enim alter eruditorum contagium blennorrhoeae, et ulceris syphilitici idem esse contendit, atque unius in alterum, utriusque vero in luem veneram transitum, nec raro ipsius Mercurii usum in utrisque proficuum fuisse adserat; alter utrumque morbum esse diversissimum judicat, et blennorrhoeam virulentam nunquam transire posse in ulcus syphiliticum, et in luem venereum nunquam transiisse, ideoque mercurio non sanari affirmat; dum denique tertius blennorrhoeam omnem ex morborum syphiliticorum serie plane expurgat.

Nos medorrhoeam virulentam uti jam distincte superius ferimus, pro inflammatione membranae mucosae, in urethra aut vagina, mucum, largum secernentis declaramus, et quamvis sedem mali praecipuam, in quam contagium proxime egit, [fossiculam navicularem esse arbitremur: tamen faciem morbi variare, atque characterem specificum mutari pu-

tamus, prouti systema vel vasorum, vel nervorum, vel vasorum lymphaticorum in individuo, contagio detento, praevaluerit.

Prognosis.

Faustissimus morbi exitus in genere tunc praedicendus est, si medico naturam ejus perspicienti, praeprimis sub initio inflammationis concessum sit, medelam naturae et gradui morbi adaequatam adhibere.

Prognosin itaque faustam pronuntiamus in morbo recenti, nec gradus alti, eo magis, quum experientia constat, eundem non raro sine ullo artis auxilio intra tres — quatuor hebdomades sola vi naturae medicatrice tuto atque cito sanari, siquidem inflammationis vehementia per mucii puriformis effluviem largam cessaverit. At morbus neglectus, gradus altioris, caractere inflammatorio eminentiori notatus, frequenter recidivus, quum non raro fine tristi coronetur, nobis nonnisi limitatam concedit prognosin.

Character morbi inflammatorius vel rapide decurrens, vel summe neglectus, nec non character asthenicus facillime morbos posthumos: praecipue stricturas, dolores acerbos excitantes relinquit, et si cum dispositione aegri infausta jungitur, morbus saepe saepius malignior, diuturnior pertinaciorque evadit ita, ut medicus nonnisi infausta expectanda habeat. Sic, ubi mucus excretus praeter consuetudi-

nem striis sanguineis miscetur, excoriationes et mox ulcera in urethra oriunda causat, ex quibus omnibus luem veneream brevi evolvi, haud injuria metuetur.

Dolor sub mingendo urens aut mitigatus, aut cessans, nec non mucus parvo quantitate effluens, spissus, facile in fila ducendus symptomata morbi decrescentis sistunt, ideoque prognosin faustiozem indicant.

Attamen licet morbus et omnia illius symptomata cessaverint, nisus in recidivam diu permanebit.

Balanitis in genere prognosin laetam admittit, sed etiam haec sensibilitatem glandis exaltatam, per longius temporis spatium residuam relinquit; unde sine ansa notabili data inflammatio non raro iterabitur.

Medorrhoea secundaria sic dicta Blennorrhoea chronica, si durationem respicis prognosin tantum limitatam admittit, quoniam medico, hunc morbum per plures — imo octo annos protractum fuisse, non adeo raro observandi occasio praebetur, attamen quum secundum medicorum expertissimorum sententiam indolis contagiosae penitus expers sit, atque pedetentim post unum alterumve mensem, omnibus inflammationis vestigiis prorsus extinctis, consuetim per remedia congruo sanetur: prognosin utcunque minus infaustam, si respectu exitus soliti atque ordinarii consideretur, admittit.

Therapia.

Quod therapiam attinet, ante omnia prophylacticam et curativam distinguimus.

Therapia prophylactica et experientiae et rationi convenienter instituta sequentia contendit:

Instituantur immediate post coitum impurum lotiones cum aqua frigida, iteratis vicibus repetitae; sub ipsa lotii excretionem praeputium super glandem antrorsum trahatur, ibique digitis leviter comprimatur, eo fine, ut diutius in urethra moretur, nec non glandem praeputiumque rite abluere possit; conveniunt porro genitalium lotiones cum aqua saponata frequenter institutae, injectiones in urethram ex aqua tepida, lacte, oleo pinqui.

Maxime vero laudantur solutiones remedium causticorum aqua destillata ad certam rationem dilutae, uti: Lixivae purae (*Dzondi*), Nitratis argenti fusi, acidorum mineralium, et inter haec, praecipue chlori. Qua remedium prophylacticum praestantissimum, et fere specificum secundum experientiam cl. et in his rebus experitissimi *Wendt* esset *Mercurius sublimatus corrosivus*, cui virtus tribuitur, venenum syphiliticum neutralisandi et destruendi, si topice genitalibus adhaeret, atque nulla hucusque symptomata primitiva produxerit.

Praescribunt plerumque Mercurium sublimatum ad grana tria in Aq. dest. unciis quatuor — sex solutum, cui tinctura *Opium simplicis* guttas x — xx

addunt; Opio enim addito non solum Mercurii sublimati effectus egregie adjuvatur, sed major quoque genitalium sensibilitas manifeste moderatur. Hanc solutionem linteo exceptam ter — quaterve de die applicant. (*Wendt, Chavel, Wedekind.*) Omnes vero monent, ut haec Mercurii sublimati solutio protinus seponatur, si symptomata irritationis, dolores etc. . . in cospectum veniunt. Quum vero Mercurius in genere contra medorrhoeam virulentam simplicem nullas exerat virtutes, etiam scopo prophylactico inde nil expectamus, sed exempla boni successus potius ad infectionem vere syphiliticam referenda opinamur.

Decocta varia, ex plantis adstringentibus facta, vel cum remediis ex regno minerali repetita juncta; inunctiones ante et post coitum oleosae enumeratis minus certae habentur; nam pinguis per calorem, frictionemque subsequam cito liquefacta mox iterum absterguntur, et partes scopo prophylactico inunctae iterum denudatae contagio denuo exponuntur; et adstringentia vix unquam receptibilitatem omnem abigunt, imo sensum voluptatis obtundendo impotentiam, usu vero diutius protracto inflammationem atque excoriationem provocare valent.

Cura medorrhoeae legibus generalibus subjiciatur. Ad indicationem primam rite implendam nihil aliud praestare possumus, nisi actionem causarum nocentium, quae aut novae infectioni, aut malo exasperando ansam praebere valent, diligenter amovendo.

Indicatio secunda, quae morbum ipsum adgredi jubet, pro varia morbi indole, gradu et duratione variabit.

In morbo recentissimo et gradus minoris (qualem vero medicis curare rarius contingit) balnea frigida topica, pudendorum et partium vicinarum fomentationes, injectiones aut nullae aut ex adstringentibus lenissimis paratae instituantur; regimen sit quietum; aeger corporis animique adfectus sollicite vitet, et sibi magnopere caveat, ne fluxus ille mucosus turbetur. Puritas porro et mundities summa commendanda, lotii alvique excretio remediis congruis expedienda, quibus omnibus symptomata mitigantur, sensim sensimque evanescent, vel morbus cum eventu prosperrimo in germine suffocatur.

Si vero morbus per longius temporis spatium jam durat, et ad altiorem gradum jam evolutus cernitur, secundum characterem, intensionem, extensionem ... therapiam dirigamus necesse erit, aetatem simul, constitutionem, febris praesentiam, nec non aliorum adjunctorum complicationem respicientes.

Quare morbo, caractere inflammatorio notato, pro vario illius gradu, aegri et epidemiae regnantis constitutione methodus antiphlogistica opponitur. Hinc decocta mucilaginosae, potus emollientes, tepiduli, emulsa diluta ... largiore copia ordinantur, quibus balnea topica tepida, fomentationes ejusdem indolis emollientes cum fructu adjunguntur. Regimen

sit strictissimum, diaeta tenuis, digestu facilis et parca concedatur.

Si vero morbus dictis remediis non cederet, imo potius incresceret, deinde cum modo expositorum continuatione, aut sanguinis depletio localis per hirudines perinaeo adplicatas, aut universalis ex uno alterove brachio instituenda indicatur.

Sub caractere morbi atonico, qui secretione largiori, doloribus autem exiguis facillime distinguitur, methodus antiphlogistica qua valde nociva vitanda, et potius erigens, roboransque in usum erit vocanda, cui diaeta roborans, quidquam stimulans optimo cum successu adjungitur.

In caractere morbi nervoso, qui secundum plurimorum sententiam ex inflammatorio saepius evolvitur, a methodo antiphlogistica recedendum, et salutis recuperatio per remedia nervina intendenda erit; prae ceteris laudatur Camphora, remedium et genitalibus, et nervis aequae amicum, cujus doses minores vel sub forma pulveris vel emulsi praescribuntur; imo Camphora ad vespervas consumpta, quum dolores spasticos componit, atque erectiones molestas mitigat, paregoricum egregium nunnallis habetur.

Quamvis morbi vehementia per methodum antiphlogisticam rite adplicatam fracta fuisset, ideoque a remediis refrigerantibus sensim sensimque recedendum esse, persuasum nobis habeamus: tamen nec prius ad diaetam largiorem, motumque frequentiore transeundum esse censemus, nisi sensus sub

urinarum excretionem urens penitus cessaverit, et mucosi effluvis parca solummodo copia adpareat, ita simul constituta, ut aut in fila duci possit, aut in floccos urinis innatantes abeat.

Quemadmodum insuper a remediis salinis omnibus in stadio inflammatorio: ita ubique non solum a diureticis, quae teste experientia ob stimulum insignem malum nonnisi exasperant, sed ab injectionibus quoque, tantopere laudatis (unico relaxationis statu excepto) prudenter abstinerebis.

Quodsi injectio indicata esset, manu cautissima, modo admodum miti et nunquam violenta instituat cum fluido quodam tepido, indicationi correspondente; omnes has cautelas apud sexum sequiorem eadem circumspectione adhibita observandas esse, per se liquet, sive scopo genitalia depurandi, sive fluidum acrius involvendi, sive secretum spissius diluendi injectiones in usum trahis.

In illis autem, qui longo donantur praeputio ut quaecumque irritatio, quam instrumenta etiam debitis regulis adhibita producere queant evitetur, injectiones sequenti modo institui possunt. Pollice, et indice manus sinistrae praeputii limbus prope froenum anterius, et sursum trahatur. In canali, qui uti patet formatur, fluidum tepidum pro injectione paratum infundatur, hinc dextrae manus ope orificium canalisi praeputii distenso enati claudatur. Nunc digitis manus sinistrae praeputii ipsius extremitas firmiter obturata teneatur, dum digitus dex-

terae manus penem externe decurrentibus liquor in cavitate praeputii contentus erga penis os comprimitur et paulatim in urethram propellitur. Operatio repeti potest, donec exoptatus effectus obtineatur, quae, si semper bene instituitur, injectio usque ad vesicae collum pervenire potest.

Non raro in symptomatum serie *priapismus*, et collis incurvatio, sic dicta *chorda venerea*, ex fortiore urethrae inflammatae tensione orta magnam medici attentionem merentur.

Si igitur haec symptomata vel inflammationis vehementia fluxu sanguinis sive spontaneo sive artificiali rite instituto, adhuc perdurarent: narcotica et sopientia, qua remedia nunc efficacissima (Opio tamen excluso) merito laudantur.

Ubi vero praeputium tumet, nec super glandem, cui justo firmiter adhaeret, retrahi patitur (*phimosis*), aut ubi semel retractum iterum elevari et ad glandem denuo tegendam nulla vi reduci potest (*paraphimosis*); antiphlogisticorum atque emollientium usus principem locum tenet, quibus, nisi morbus pertinacior manus victas dederit, ad lotiones, fomentationes, balnea topica glandem et praeputium emollientia transgredimur, malum simul leni digitorum pressione adjuvante auferre tentantes; si vero res votis nondum succederet, ipsa encheiresis instituat.

Ex dictis simul patet, quomodo consensualis inflammatio glandulae prostatae, testiculi, funiculi

spermatici, glandularum inguinalium pro diversis rerum adjunctis mox topicam mox universalem, modo mitiorem modo vehementiorem curam antiphlogisticam desideret, ut mitigari, frangi vel penitus auferri valeat.

In *medorrhoea chronica*, quae minime dolens ex acuta praecedente non raro remanet, membranae mucosae atonia per remedia congrua tollenda est; hinc lotiones ex aqua frigida, a remediis adstringentibus, aromaticis, spirituosis paratae efficacia sistunt pharmaca; praeprimis laudantur: spiritus lavandulae, solutiones saturninae (aqua vegeto-mineralis *Goulardi*, aqua saturnina); alumen, lapis causticus, sulfas Zinci artefactus, mercurius sublimatus corrosivus, acidum muriaticum oxygenatum . . . , si quidem omnia haec remedia aqua ad certam rationem diluta exhibentur. Ab usu solutionis Aluminosae quandoque exanthema, sub forma phlyctaenarum per totam superficiem glandis obortum vidimus.

Quidam medicorum praeprimis balsama nativa: Balsamum Copaivae, Bals. peruvianum, Terebinthinam; resinas, gummiresinas: praesertim Myrrham . . . magnis laudibus extollunt, balsamo in guttis vel uti et reliqua pharmaca in emulsione, pilulis praescribentes: quorum tamen usus non nisi caustissimus sit et quamprimum fluxus mucosus non solum non cessat, imo potius augetur, merito suspendendus. Piper Cubeba a *John Crawford*, Chirurgo

Anglico, primo contra hunc morbum in Bengalia adhibebatur, et tanquam remedium specificum praedicatur. Quamvis autem complures medici Europaei, praeprimis cl. *Delpech* et cl. *Chelius* remedium dictum in omni medorrhoeae stadio cum fructu prosperrimo exhibuisse asserant: tamen non possum, quin praecipis cl. *Wendt* subscribam, qui nonnisi in medorrhoea chronica effectum salutarem inde exspectat. Ab usu hujus medicaminis vidi in individuo quodam peculiare exanthema pruriginosum per totam corporis superficiem.

Remedia porro potenter adstringentia, uti: radix Tormentillae, Ratanhiae, gummi Kino, catechu, china, vel ipsius ferri applicatio, ne perniciem aegro adferat, medicum prudentem et circumspectum desiderant; id quod etiam dicendum est de illo, qui in blennorrhoea chronica ex erethismo orta acida mineralia, narcotica, adstringentia (uti chinam cum opio junctam), injectiones ex aqua laurocerasi, sublimati corrosivi, saturni . . . topicas applicare conatur.

Desorganisationes in urethra ex medorrhoea chronica residuae: exulcerationes, stricturae, indurationes . . . juxta chirurgiae praecepta aut sanabuntur, aut quodsi hoc non amplius concederetur, saepe saepius emendantur.

Etsi medicorum plurimi usum mercurii internum nunquam in medorrhoea virulenta simplici, sive acuta, sive chronica, indicatum esse adfirment:

hoc tamen cum grano de die praeparati cujusdam mitioris incipiendo, non adeo interdictum esse arbitramur; ubi blennorrhoea altioris gradus, vehemens, neglecta, perverse tractata, vel symptomatibus verae syphilidis juncta fuerit. Imo in casibus dubiis delitescens viri syphilido-phagedaenici non nisi ab usu mercurialium interno sanatio perfecta expectanda.



Theses defendendae.

I.

Arteriae irritabilitate manifesta destituuntur.

II.

Irritatio est conditio pathologica, quae ab inflammatione essentialiter differt.

III.

Sub obliteratione canalisi nasali unguis perforatio non suadenda.

IV.

Ligamenta glottidis unicum sistunt adminiculum, quod alimenti et potus ex pharynge in vias aereas ingressum impedit.

V.

Actio mercurialium in syphilide est specifica.

VI.

Febris nervosa adynamica primitiva non datur.

VII.

Lotiones frigidae ad transpirationem cutaneam excitandam incomparabile sistunt praesidium.

VIII.

Communicatio immediata inter vasa lymphatica Mesenterii, et venas meseraicas non existit.

IX.

Evolutio facultatum intellectualium est in ratione directa cum massa cerebri.

X.

Physiognomica a medicis diligentius, quam hucusque factum est, excoli meretur.

XI.

Processus plastico-adhaesivus, cujus ope plantae inseruntur, multam analogiam cum inflammatione habet.

XII.

Structura ossium penitior est cellulosa.

XIII.

Virus syphilido-medorrhoeicum a viro syphilidophagedaenico essentialiter differt.

XIV.

Hypotheses in scientia medica necessariae.
